

fuerint liberatores et duces Israelis. Ita S. Augustinus, Quast. XV. Ubi Nota: Primus filius Jacobi fuit Ruben, secundus Simeon, tertius Levi; horum trium tantum genealogiam, pertexit hic Moses, tum quia hoc causam jam dictam, tum quia his maledixisse videbatur Jacob, *Genes.* cap. XLIX, vers. 3 et 5. Unde ne putarentur tres istæ tribus a Deo rejecte, voluit Moses illorum trium filiorum Jacob multas atque illustres familias commemorare.

PER COGNATIONES SUAS. — Hebraice, per generationes, id est familias, suas. Hæc ergo tria idem sunt: generatio, familia, cognatio; ideoque una generatio est una familia, quia ab uno generante descendit.

ANNI AUTEM VITÆ LEVI FUERUNT CENTUM TRIGINTA SEPTEN. — Ex dictis *Genes.* xxx, constat Levi quatuor annis fuisse seniore Josepho. Hinc sequitur primo, quod Levi erat 43 annorum, quando cum Jacob descendit in Ægyptum, quia tunc Joseph erat 39 annorum, ut ostendi *Genes.* xli. Sequitur secundo, Levi obiisse 23 annis post mortem Josephi; hic enim mortuus est anno ætatis 110, Levi autem 137. Sequitur tertio, Levi post ingressum Jacobi in Ægyptum, vixisse in Ægypto annos 94. Sequitur quarto, Levi obiisse 121 annis ante egressum Hebræorum ex Ægypto: nam ab ingressu Jacobi in Ægyptum usque ad exitum Hebræorum, fluxerunt anni 213; sed Levi, post ingressum Jacobi in Ægyptum, vixit inibi annis 94: ergo post mortem Levi usque ad exitum Hebræorum

ex Ægypto, reliqui fuerunt anni 121. Sequitur quinto, Levi obiisse annis 41 ante ortum Moysi; hic enim 80 annorum erat in egressu Hebræorum ex Ægypto.

20. JOCHABED PATRUULEM SUAM, — cognatam, non amitam, ut dixi cap. II, 2.

FUERUNTQUE ANNI VITÆ AMRAM CENTUM TRIGINTA SEPTEN. — Eusebius in *Chronico* tradit Amram, qui fuit pater Moysi, genuisse Mosen anno ætatis sue 70; unde sequitur eum obiisse, cum Moses esset sexaginta septem annorum, puta 13 annis ante egressum Hebræorum ex Ægypto; licet Alexander Polyhistor, apud Eusebium velit, Amram obiisse 20 annis ante exitum Hebræorum ex Ægypto.

Tradunt Hebræi, ut refert Genebrardus lib. I *Chronol.*, septem viros metiri omnem seculorum cursum a principio mundi usque ad finem. Adam enim vixit Mathusalem, hunc vidit Sem, Sem vidit Jacob, Jacob vidit Amram, Amram vidit Ahiam Silonitem, Ahias vidit Eliam, qui vivit et vivet usque ad finem mundi. Sed errant in Amram; hic enim, ut dixi, obiit 13 annis ante exitum Hebræorum ex Ægypto: ergo non potuit videre Ahiam Silonitem, qui post mortem Salomonis propheta inducitur III *Reg.* xi. Nam ab egressu Hebræorum ex Ægypto usque ad annum 4 Salomonis, quo ædificatum est templum, fluxerunt anni 480, ut patet III *Reg.* vi, 1. Brevius et verius duobus hominibus metirentur omne sæculum:

nam Adam vidit Henoch, Henoch raptus redibit, et videbit finem mundi.

Vide hic quam exile sit omne hoc tempus nostrum, quam fugax totum hoc sæculum. Audiat Christianus vere philosophantem Lælium apud Senecam, lib. VI *Natural. quest.* Cum enim quidam ei diceret: Sexaginta annos habeo; eleganter respondit: Hosne dicis sexaginta annos, quos nondum habes? præteritos annos, horas et ætates non habemus: neque etiam habemus futuros; per momenta, punctaque temporis fugientis vivimus: ex die vite et horis puncta habemus quedam. Ac rursus: « Neque illud quod futurum est, meum est, nec quod fuit: in puncto fugientis temporis pendeo. » Recte enim dixit philosophus ille, nos proprie non habere tempus, sed punctum temporis, puta ipsum nunc: nam præteritum non est, sed fuit; futurum non est, sed erit: ergo solum habemus ipsum: præsens, puta momentum nunc. Vide quam exile sit tempus nostrum, quam exilis voluptas, et vita hæc præsens.

23. ACCEPIT AUTEM AARON UXOREM ELIZABETH, FILIAM AMINADAB, SOROREM NAHASON. — Hic Nahason in egressu ex Ægypto fuit princeps tribus Juda, ut patet *Num.* I, 7.

Nota: Moses vir humilis hic studiose genealogiam Aaronis pertexit, suam pene negligit, nisi quatenus ad Dei vocationem, et missionem certe persona cognoscendam erat necessaria.

25. HI SUNT PRINCIPES FAMILIARUM. — Hebr., hi vers. 25 sunt principes patrum, qui scilicet inter patres fuerunt principes et capita familiarum.

26. ISTE EST AARON ET MOYSES, — qui scilicet missi sunt ad Pharaonem.

28. IN DIE QUÆ LOCUTUS EST DOMINUS AD MOYSEN IN TERRA ÆGYPTI. — In Hebræo et Chaldæo hic incipit nova sententia, hoc modo: *Et factum est in die qua locutus est Dominus ad Moysen in hunc modum: Ego Dominus, loquere ad Pharaonem.* Unde et Latini codices hinc incipiunt vers. 28.

« Iste est ergo Aaron et Moyses, » qui duces fuerunt tanti facinoris, qui quasi duo fulmina belli Pharaonem omnesque hostes prostraverunt, qui quasi sol et luna Israelæm illustrarunt. Ecce quantum potest unus alterve homo, unus insignis populi dux. Ita unus Epaminondas Thebanos ad imperium evexit, ut eum videns Agesilaus, licet hostis, merito exclamaret: « O virum magnificentum? » Ita unus Scipio longum Romanorum et Carthaginensium de imperio duellum diremit, illudque Romanis asseruit, ut merito de eo adhuc mille dixerit Cato: « Iste sapit solus, reliqui velut umbra vagantur; » et Metellus gratias egerit diis Romæ causa, quod alibi non existeret Scipio. Quin et Numantini hostes Romanorum rogati cur jam Romanos duce Scipione fugerent, quos antea fugarant, responderunt: « Oves quidem eodem sunt, sed alium jam habent pastorem. » Testis est Plutarchus in *Apophtheg. Roman.*

Adam et Henoch motum- tur om- nia scia- h. Eritus et fug- ctas temp- ria.

Ums ho- mo inlar- mille.

Inter fideles quid non effecit unus Moyses, unus Josue, unus David, unus Josias, unus Elias, unus Eliseus, unus Daniel, unus Paulus, unus Gregorius, unus Athanasius, unus Chrysostomus, unus Hieronymus, unus Benedictus, unus Francisus, unus Dominicus, unus Bernardus, unus Xaverius? et nos quid facimus? numerus sumus. Multiplicasti, Domine, gentem, non magnificasti letitiam. Flebat Julius Cæsar legens gesta Alexandri, dicebatque: « Ea ætate qua Alexander Darius devicit, ego adhuc nihil præclarum gessi. »

Quot annos nos viximus? quid præclare gessimus?

29. LOQUERE AD PHARAONEM. — Hic Moses narrationem vers. 14 ceptam, et per genealogiæ suæ descriptionem interruptam, resumit et prosequitur.

30. ET AIT MOYSES CORAM DOMINO. — ait Domino, qui erat coram, sive coram quo stabat et agebat Moses.

INCIRCUMCISUS SUM LABIIS, — impeditæ sum lingue, rudis in loquendo et ineptus, ut dixi cap. IV, vers. 10.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Mittit Dominus Mosen ad Pharaonem, eique dat signa quæ eiat: virgam ergo suam Moses coram Pharaone in colubrum vertit; deinde, vers. 17, aquas omnes Ægypti convertit in sanguinem; similia faciunt malefici Pharaonis, vers. 22: hinc obdurat se Pharaon ne Hebræos dimittat.

1. Dixitque Dominus ad Moysen: Ecce constitui te Deum Pharaonis, et Aaron frater tuus erit propheta tuus. 2. Tu loqueris ei omnia quæ mando tibi, et ille loquetur ad Pharaonem, ut dimittat filios Israel de terra sua. 3. Sed ego indurabo cor ejus, et multiplicabo signa et ostenta mea in terra Ægypti, 4. et non audiet vos: immittamque manum meam super Ægyptum, et educam exercitum et populum meum filios Israel de terra Ægypti per judicia maxima. 5. Et scient Ægyptii, quia ego sum Dominus qui extenderim manum meam super Ægyptum, et eduxerim filios Israel de medio eorum. 6. Fecit itaque Moyses et Aaron sicut præceperat Dominus: ita egerunt. 7. Erat autem Moyses octoginta annorum, et Aaron octoginta trium, quando locuti sunt ad Pharaonem. 8. Dixitque Dominus ad Moysen et Aaron: 9. Cum dixerit vobis Pharaon: Ostendite signa; dices ad Aaron: Tolle virgam tuam, et projice eam coram Pharaone, ac vertetur in colubrum. 10. Ingressi itaque Moyses et Aaron ad Pharaonem, fecerunt sicut præceperat Dominus, tulitque Aaron virgam coram Pharaone et servis ejus, quæ versa est in colubrum. 11. Vocavit autem Pharaon sapientes et maleficos, et fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas et arcana quædam similiter. 12. Projeceruntque singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones; sed devoravit virga Aaron virgas eorum. 13. Induratumque est cor Pharaonis, et non audivit eos, sicut præceperat Dominus. 14. Dixit autem Dominus ad Moysen: Ingravatum est cor Pharaonis, non vult dimittere populum. 15. Vade ad eum mane, ecce egredietur ad aquas; et stabis in occursum ejus super ripam fluminis, et virgam, quæ conversata est in draconem, tolles in manu tua. 16. Dicesque ad eum: Dominus Deus Hebræorum misit me ad te, dicens: Dimitte populum meum ut sacrificet mihi in deserto, et usque ad præsens audire noluisti. 17. Hæc igitur dicit Dominus: In hoc scies quod sim Dominus: ecce percussam virga, quæ in manu mea est, aquam fluminis, et vertetur in sanguinem. 18. Pisces quoque, qui sunt in fluvio, morientur, et comptrescent aquæ, et affligentur Ægyptii bibentes aquam fluminis. 19. Dixit quoque Dominus ad Moysen: Dic ad Aaron: Tolle virgam tuam, et extende manum tuam super aquas Ægypti, et super fluvios eorum, et rivos ac paludes, et omnes lacus aquarum, ut vertantur in sanguinem; et sit eror in omni terra Ægypti, tam in ligneis vasis quam in saxeis. 20. Feceruntque Moyses et Aaron sicut præceperat Dominus, et elevans virgam, percussit aquam fluminis

coram Pharaone et servis ejus; quæ versa est in sanguinem. 21. Et pisces, qui erant in flumine, mortui sunt: computruitque fluvius, et non poterant Ægyptii bibere aquam fluminis, et fuit sanguis in tota terra Ægypti. 22. Feceruntque similiter malefici Ægyptiorum incantationibus suis; et induratum est cor Pharaonis, nec audivit eos, sicut præceperat Dominus. 23. Avertitque se, et ingressus est domum suam, nec apposuit cor etiam hac vice. 24. Foderunt autem omnes Ægyptii per circuitum fluminis aquam ut biberent; non enim poterant bibere de aqua fluminis. 25. Impletique sunt septem dies, postquam percussit Dominus fluvium.

1. DIXITQUE DOMINUS AD MOYSEN. — Respondet hic Deus timiditati et querela Moysi, quam ipse proposuit cap. præced., vers. 12.

ECCE CONSTITUIT DEUM PHARAONIS. — « Deum, » non natura, neque unione hypostatica: talis enim non constituitur, præsertim is qui jam ante subsistit; ut subsistebat hic Moses; sed participatione eminentiæ et potestatis divine contra Pharaonem, q. d. Noli, o Moses, timere sævitiam et fastum Pharaonis, quia ego te feci quasi Deum Pharaonis, non quem ille fideliter adoret, sed servilliter timeat punientem, atque medentem obsecret; et, ut ait Rupertus: « Quoniam tu militissimas virorum cum Pharaone dimicare indignum te ducis, teque deprimis, ecce ego sustollam te; faciamque te Deum Pharaonis, ut imperes aquis pro potestate Dei, ut ranas crees; ut imperes terræ ac cineri, faciasque in rege et exercitu ejus cliopes et vesicas; ut imperes aeri, et pestem generet; ut imperes igni, et cum grandine mixtus ferat super peccatores; imperando clementis Deus eris Pharaonis: ecce quam gloriosa virtutum regina est humilitas, quæ in cælum volare consequitur. » Hactenus Rupertus. Unde Chaldaeus vertit, *debi* te *ra* *rab*, id est principem, Pharaonis.

Simili modo S. Basilius factus est Deus Valentis imperatoris; S. Ambrosius, Justina imperatricis; S. Athanasius, Hilarius, Hosius et Lucifer, Constantii imperatoris, dum eos liberrime coarctaverunt, imo Neroni, Decio, Diocletiano et Antichristo comparantur, ut patet ex eorum verbis, quæ citavi II *Timoth.* 1, 7. Sic S. Bernardus ad *Eugenium Pontificem* 1, « Considera, ait, oportere te esse formam justitiæ, sanctimonie speculum, fidelium defensionem, etc., virgam potentium, mallem tyrannorum, regum patrem, sal terræ, urbis lumen, sacerdotem Altissimi, vicarium Christi, Christum Domini, postremo Deum Pharaonis. » Sic Elias fuit Deus Achabo regi per suas minas et plagas: unde III *Reg.* xviii, 17, cum ei diceret rex: « Tunc es ille qui conturbas Israel? » respondit intrepide: « Non ego turbavi Israel, sed tu, et domus patris tui, qui dereliquisti hominum. » Vide hic quid mereatur humilitas, quamque ipsa Moysen exaltavit, faciens eum Deum Pharaonis. Sic et Moses vicit Pharaonem, ita humilis vincit diabolum.

Legimus in *Vitis Patrum*, lib. VII, cap. xxxii, abolum occurrisse S. Macario, ac voluisse eum

percutere falce acuta, sed non valuisse, ideoque exclamasse, ac dixisse: « Magnam vim a te patior, Macari, qui cum cupio tibi nocere, non valeo: dum quascumque tu facis, ego magis exsuerem. Tu enim interdum jejunas, ego nunquam ullo cibo reficior. Tu sæpe vigilas, me vero nunquam sopor oppressit. Sed una re me vincis, ipse fateor. » Cumque ab eo rem ipsam requisisset Macarius, ait: « Humilitas tua sola me vincit, » quo dicto, orante Macario, inter auras evanuit.

Idem alius Abbas ait: « Quantumcumque se deposuerit homo in humilitate, tantum proficit in altum; sicut enim superbia, si ascenderit in cælum, usque ad infernum deducitur: ita et humilitas, si descendit ad infernum, tunc exaltabitur usque ad cælum. »

Idem alius comparat humilitatem S. Joanni Baptistæ, charitatem Christo. « Omnis labor, inquit, sine humilitate vanus est. Humilitas enim est præcursor charitatis. Sicut Joannes præcursor erat Jesu, omnes trahens ad eum: ita et humilitas attrahit ad charitatem, id est ad ipsum Deum, quia Deus charitas est. »

Idem, cap. xv, S. Antonio in meritis præfertur corarius quidam mire humilis, qui jugiter dicebat: « Omnis hæc civitas ingreditur in regnum Dei propter justitias suas; ego autem solum propter peccata mea pœnam sempiternam ingrediar. »

Hinc S. Hilarius, lib. VII *De Trinit.*, docet aliter Christum in Scriptura dici Deum, scilicet non constitutione, sed primo, nomine, quia simpliciter et præcise vocatur Deus, ut *Joan.* cap. 1: « Deus erat Verbum; » secundo, nativitate, quia vocatur Deus non per adoptionem, sed per generationem: vocatur enim Filius Dei a Patre genitus; tertio, natura, quia ipse dixit: « Ego et Pater unum sumus; » quarto, potestate: ipse enim dixit: « Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra; » quinto, professione, quia profitebatur coram Judæis se persequenibus, se consubstantialem et æqualem esse Patri, ut *Joan.* v: « Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo, » hancque suam professionem miraculis comprobavit, atque morte et martyrio suo obsignavit. Ita S. Hilarius.

Nota: Pro Deum, hebraice est *Elohim*, quod aliis a Deo, puta angelis et hominibus, his præsertim quibus Deum suam potestatem judicium

crasit, vincit, que diabolum.

Christus vocatur Deus quia tripliciter.

Elohim vocatur Deus, ut in ap.

riam, aut principatum communicavit, tributur. Sic *Evodii* xxii, 28, dicitur: « Diis (judicibus) non detrahes, et principi populi tui non maledices. » *Psal.* viii, 6: « Minus eum paulo minus ab angelis, » hebraice ab *Elohim*. *Psal.* cxxxviii: « In conspectu angelorum (hebr. *Elohim*) psallam tibi. »

Ubi nota: Hoc nomen *Elohim* ex adjunctis tunc solet limitari, ne Deus verus intelligatur: nam quando absolute ponitur, soli Deo vero tribuitur; sic *Psal.* lxxxi, 1, dicitur: « Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos diducat: » *Deos*, id est judices; nam Deus verus, qui est summus omnium judex, a nemine judicatur; et vers. 6: « Ego dixi, dii estis, » q. d. Non re vera, sed communicatione et nuncupatione mea dii estis. Hinc Christus hunc locum citans, *Joan.* x, 33, ait: « Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, » q. d. Si illi vocantur dii, qui sola participatione et nuncupatione sunt dii, quanto magis ego sum Deus, qui per naturam sum Deus? Vide hic quantum amicos suos extollat Deus. Vere Philo, lib. I *De Vita Moysi*: « Cum amicorum, inquit, omnia sint communia, Deus potestatem et opes suas cum Sanctis communicat. » Hinc Moses ob virtutes suas, et ob ostenta sua ab Ægyptiis vocatus est Deus, ut tradit S. Cyrillus, et lib. I *Contra Julianum*, et S. Justinus, *Oratione parænetica ad Gentes*, post initium, et Eusebius, lib. IV *De Preparat. Evang.*, ante finem, additque eum fuisse appellatum Mercurium, ob sacrarum litterarum intelligentiam et interpretationem. Idem tradit eum etiam vocatum fuisse Musæum. Vide hic in Mose quam verum sit vetus dictum: « Princeps probus est animata Dei in terris imago. »

DEUM PHARAONIS (1). — Perperam in Theodoro legitur *Deum Aaronis*: sic enim jam apud eum legitur, *Quæst.* XVIII: « Quomodo Moses fuit Deus ipsius Aaron? » ac respondet: « Sicut Deus imperabat Mosi, ita Moses ipsi Aaroni; unde et Aaron appellatus est Propheta Moysi. » Verum manuscriptus codex Theodoretus pro Aaronem legit Pharaonem, et ita omnino scripsisse videtur Theodoretus. Scilicet vero aliqui ex eo quod Aaron propheta Moysi subjungitur, in præcedentibus quoque pro Pharaone Aaronem substituit, sed perperam.

Nota: Moses fuit Deus, non tantum Pharaonis, sed etiam Israelis; verum diversimode: Pharaonis enim Deus fuit, eum castigando; Israelis, eum protegendo, deducendo, regendo, sustinendo; quod enim de Elia dicit Celseus, IV *Reg.* ii, 12: « Pater mi, currus Israel, et auriga ejus: » hoc ipsum verum de Mose dicitur. Sicut ergo Deus insidens curru Cherubico, *Ezech.* i, auriga est mundi,

(1) In hoc tibi a me imposito munere obtempero ipse Pharaonem non aborquetis, frater tuus verba faciet. Eris instar Dei, ejus effata ad Pharaonem per Aaronem, quasi per prophetam, deferentur.

ita Moses fuit auriga Israelis, *Num.* xi, 11. Ita legimus in *Vitis Patrum*, in *Sept.* 107, S. Macarium vocatum fuisse Deum monachorum. « Dicebant, inquit, de Abhale Mabario Majore, quia, sicut Deus protexit totum mundum, et portat peccata hominum: ita et ille quasi quidam Deus terrenus fuit in fratribus, operiens delicta illorum, et ea quæ videbat vel audiebat, quasi non videns et non audiens. » Pari modo esto et tu angelus, imo Deus inter fratres et socios tuos.

Disce hic vanam esse gloriam quæ ab hominibus, veram quæ a Deo queritur et accipitur. Unde S. Chrysostomus, hom. 2 *in epist. ad Titum*: « Non prohibeo, inquit, appeti gloriam, sed illa volo ambiatur, quæ vera est, quæ ex Deo est, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est. Unum intueamur solum, ad id tota nostra dirigatur intentio, quo scilicet pacto Dei mereamur ore laudari. Si hoc intente inspiciamus, humana semper omnia nihil estimabimus. Non laudat te ille aut ille, nihil inde amittis; et si viluperet quispiam, nihil omnino te læsit. Sive enim laus, sive vituperatio, ex Deo tantum, aut emolumentum habet, aut detrimentum. » Deinde docet contemptum humane laudis nos Deo similes reddere. Sicut enim ab eterno fuit gloriosus, et in immensum semper glorificatus a Patre, Filio, et Spiritu Sancto, ac proinde non indiget laude hominum, quæ per æternitatem antequam mundum conderet, nulla fuit: sic etiam gloriæ contemptior; unde concludit: « Quoties, inquit, difficile existimas contemnere gloriam, ista tecum animo versa: si hanc despexero, Deo æqualis, id est similis, efficiar, protinusque subibit gloriæ contemptus ex animo. »

ET AARON FRATER TUUS ERIT PROPHETA TUUS. — Sicut tu jam a me constitutus es Deus, non natura, sed participatione: ita similem habebis prophetam Aaronem, non qui proprie propheta sit, id est, cui immediata futura revelet Deus: sed cui tu ea, quæ a me intelligis, reveles, ut eo enim interprete illa coram Pharaone proloquaris, uti modo explicatur: ut Hebraeus *נביא נביא* *nabi*, id est propheta, alludat ad *רבי נביא*, quæ loqui significat. Sic Apostolus, I *Cor.* xiv, vers. 4, 8, 12, 22, 29, 30, 39, prophetas vocat præcones verbi Dei, et prophetiam vocat prædicationem; uti ubi dixi, ubi et varias nominis *propheta* significaciones adduxi. Ex hoc ergo loco colligi non potest Aaronem proprie fuisse prophetam, licet id ipsum ex aliis locis colligatur, scilicet ex cap. iv, 27, ubi Deus ei revelavit Moysi reditum diens: « Vade tu in occursum Moysi; » et I *Reg.* ii, 27, dicit Dominus Heli pontifici, prognato ex Aaron: « Numquid non aperte revelatus sum domui patris tui? » Pulchre Rupertus: « Quoniam, inquit, non est dignus Pharo tecum, o Moses, qui Deus ejus es constitutus, loqui, Aaron erit tuus propheta, plagas quas tu facies effata ad Pharaonem, sive tanquam minister tuus illaturus: exemplo videlicet mei,

Aaron fuit propheta, id est interpretator pres et orator Moysi.

Aaron vero quæ fuit propheta.

qui hominibus non loquor per me, sed per prophetas meos mando ea, quae illis vel denuntianda, vel a me facienda sunt; et isti duo homines ita profecto egerunt, alter potestatem in sermone habens, alter potestatem in faciendis coram Pharaone signis exerens.

Ubi nota Aaronem non tantum fuisse prophetam Mosis, qui fuit ejus interpres apud Pharaonem, sed etiam quia ejus jussu faciebat signa, et plagas inferebat Aegypto, ut patet de virga versa in colubrum hoc capite, vers. 10; unde capit. xix. ait Dominus Mosis: «Die ad Aaron: Tolle virgam tuam, et extende manum tuam super aquas Aegypti, etc., ut vertantur in sanguinem.» Et cap. viii. 3: «Die ad Aaron: Extende manum tuam super fluvios, etc., et educ ranas.» Et vers. 16: «Loquere ad Aaron: Extende virgam tuam, et percutit pulverem terrae, et sint sciniphas.» Ergo colubros, sanguinem, ranas et sciniphas Aegypto induxit Aaron, sed praeccepto Mosis, quasi Dei sui mandatis. Unde et Moses, non Aaron, plagas haec orans Deum revocavit et stitit, ut iisdem locis subditur. Porro plagas sequentes, utpote graviores, puta ulcerum cap. viii. 9, pestis cap. viii. vers. 15, grandinis, tonitruorum et fulgurum cap. viii. vers. 23, locustarum cap. x. 12, tenebrarum cap. x. 22, non Aaron, sed solus Moyses extendendo manus Aegypto inflixit.

S. Basilus et Gregorius Nazianzenus, orat. 22, et ejus Schollastes Nicetas: «Moses, inquit, fuit legislator Hebraeorum; sic Basilius legislator fuit monachorum, Nyssenus vero sanctissimus fuit instar Aaronis. Basilius princeps fuit sacerdotum, Nyssenus fuit illi proximus, et quasi illius lingua alios iniitans; ambo decem plagis peccatum affecerunt, mare vitiorum seiderunt; Aegyptios, id est haereticos et demones depresserunt; Amalec, id est Julianum, typica crucis manuum extensione fugarunt; Israelitas vero pane caelesti, et aqua caelestis doctrinae paverunt, atque ad regnum caeleste perduxerunt.»

Vers. 3.

3. EGO IN DURABO COR EJUS. — Calvinus hoc loco quasi ariete, suam, de Deo active et proprie obdurante, haesim ita propugnat, ut eo se omnes sophistas prosternere gloriatur: itaque vertit ipse, ego constringam cor ejus. Calvinus ergo haec est mens et sententia, licet, ut tam infame virus occultat, vel potius honestet, implexa, Deum obdurasse Pharaonem, non ei immittendo duritiam, sed tum satanae eum addicendo et mancipando, ut cor ejus durum obduraret magis; tum quod arcano quodam motu, qui captum nostrum superet, quo ejus gubernarit, et ad pervicaciam obduravit: neque tamen peccati auctorem fuisse Deum, eo quod justo judicio idipsum fecerit; duritiam enim Pharaonis peccatum fuisse, obdurationem vero fuisse Dei judicium. Ita ipse.

Verum haec saeculis omnibus inaudita est haec res, et execranda blasphemia, quam tum alibi

passim, tum hic redarguit ipsa S. Scriptura; quod enim Pharaon non a Deo, sed a seipso, suaque malitia proprie et directe sit obduratus, demonstratur: Primo, ex eo quod Deus misso Mose Pharaoni decies praecipit dimittere populum Iudaicum; ergo voluit ut missum faceret populum, non ergo eum obdurare voluit, ut eum retineret: hoc enim proprie velle, est velle efficaciter, ut Pharaon nolit populum dimittere; velle autem ut dimittat, idque praecipere, ac rursus efficaciter id nolle, ideoque obdurare, manifeste inter se pugnant. Rursum, si Dei voluntas erat obdurare Pharaonem, ergo Pharaon ei se conformans non peccabat: Dei enim voluntas omnis bonae voluntatis mensura est.

Secundo, Deus reluctantem Pharaonem gravissime punivit; atqui Deus non est auctor eorum quorum est ultor, inquit S. Fulgentius, lib. I ad Monimum, cap. iii.

Tertio, Pharaon ipse paulatim Deo, Mosis et Hebraeis cessit, dum primo, eos sine proliibus et armentis; secundo, cum proliibus, sed sine armentis; tertio, omnino cum suis abire permisit: ergo ipse se flecebat et obdurabat; quum vero Pharaon ipse non tam impius fuit, ut duritiae suae causam in Deum evomeret; sed sibi eam tribuit Exodi x. 16: «Peccavi, inquit, in Dominum.»

Quod enim Calvinus Deum culpa liberare contendat, peccatum Pharaonis, obdurationem Deo tribuendo, tam impie quam imperie id facit. Si enim durities Pharaonis peccatum est, cor pariter peccatum non sit obduratio, quae duritiae est causa? Causa enim ad peccatum impellens, utique peccat, Joan. viii. 34; Rom. 1. 32; et vel maxime tunc, cum efficaciter impellit, ut ei alter resistere nequeat.

At instat Calvinus, obdurare in Deo non esse culpam, quia justum hoc Dei judicium est; sed frivola est et inanis haec larva: si enim durities culpa est, quocumque fine, quocumque judicio ad eam impellas, culpam admittis: quod enim in se malum est et culpa, nullo fine licet: ideoque non justum est hoc, sed impium Calvini judicium, tantumque est dicere ac si aperta pronunties: Deus peccati auctor est, sed hoc fine ut judicium suum, et praecedentium peccatorum vindictam exerceat.

Quarto, non Pharaon tantum sibi, sed et Scriptura culpam et obdurationem eidem tribuit, cum jam immunem et liberum a poena, ad ingenium sponte rediisse narrat, Exod. viii. vers. 15: «Videns, inquit, Pharaon quod data esset requies, ingravit cor suum;» et cap. ix. 34: «Videns Pharaon quod cessasset pluvia, auxilium peccatum, et ingravitum est cor ejus,» id est, ut habetur in Hebraeo: יכבד לבו jackbed libbo, id est, aggravavit ipse cor suum. Idem patet cap. viii. vers. ult. in Hebraeo: unde quoties noster Interpres in Exodo vertit, ingravitum est, accipie ingravit se cor, id est voluntas, Pharaonis: sic enim Hebraea ubique veritas. Ipse ergo Pharaon proprie et positive se indura-

vit; Deus vero permissive et indirecte, uti dicam Quest. II. Ita consent et explicant passim Patres omnes et interpretes Catholici.

Obijcit Calvinus: Multum interest inter agere et pati, inter agere et permittere; obdurare autem est agere, ergo non tantum est permittere obdurari, sed est efficere ipsam duritiam.

Respondeo, phrasi Hebraea et Latina permissio, imo et occasio, saepe vocatur actio; unde illud tritum:

Blanda patrum segnes facit indulgentia malos.

Sicque vulgo loquimur. Rursum, agere apud Hebraeos latissimum est, et amplissime sumitur, ut de Josepho, Gen. xli. 13, in Hebraeo, dicitur pinerna: Joseph me reddidit (scilicet per suum vaticinium, id est, reddendum me praedixit) officio; et illum, pistorum scilicet, suspendit, id est suspendendum praedixit. Sic hic cap. v. vers. 22, Moses dicit Domino: «Cur afflixisti populum tuum?» id est, cur ei afflictionis occasio fuisti mittendo me ad Pharaonem, eumque hac ratione magis exacerbando contra Hebraeos? Potiori ergo ratione Deus providentia sua claudens omnia, modum, tempus, gradumque et limitem ultra quem non progrediantur, omnibus omnino hominum actibus definiens, dum sinit malos male agere, saepe obdurare, eisque concursu suo assistit, ut agere possint quod lubet, agere dicitur.

Instat Calvinus: Permissio, uti et aliae negationes et privationes, non est judicium, non est vindicta, non est poena; haec enim positive a iudice infligitur. Atqui obduratio est judicium, vindicta et poena praecedentium peccatorum: ergo non tantum permissive, sed et positive a Deo infligitur.

Respondeo majorem esse falsam: licet enim sententia iudicis debeat esse positiva, poena tamen per eam irrogata saepe est privativa, ut cum iudex punit aliquem privatione bonorum, inhabilitate ad officia et dignitates, etc. Sic lex Julia plecit adulteras, dum eas a parentibus impune occidi permittit. Pari modo decretum permit-tendi hunc illumve obdurari, in Deo est positivum, et actio positiva; ipsa tamen permissio obdurationis non est positiva actio, est nihilominus ingens poena; quis enim non videt magnam esse peccatorum poenam, cum Deus eis permittit impune quid libet agere, et in profundum malorum ac gehennae ruere? Adde in hac obduratione non tantum esse permissionem, sed et alias actiones positivas Dei, ut dicam Quest. III.

Obijcit secundo: Non semel, sed crebro hic dicitur quod Deus obduravit Pharaonem, non autem quod Pharaon obduravit seipsum: atqui non videtur probabile Scripturam toties improprio sermone uti.

Respondeo: Pluries hic dicitur quod Pharaon obduravit seipsum, ut patet ex dictis, rarius quod Deus eum obduravit, videlicet tantum in 6,

8 et 9 plagis, et cum Hebraeos Aegypto egressos insectus est, idque hic praedixit Mosis, ut vide licet illi animum adderet, utpote experturo tantam regis contumaciam, itaque non percelleret Moses, cogitans non sine Dei providentia et praedictione indurari Pharaonem, seiretque cor regis esse in manu Dei, et ab eo tandem emolliendum esse, ut dimitteret Hebraeos, uti et fecit post ultimam plagam primogenitorum.

Obijcit tertio: Deus, cap. x. vers. 1, dicit se indurasse Pharaonem, ut signa, plagas et potentiam suam in eo ostenderet: ergo signis et flagellis suis non obduravit Pharaonem, sed potius obduravit eum hoc fine, ut occasionem haberet eum flagellandi, et justitiam potentiamque suam in eo ostenderet.

Respondeo: Potentiam suam ostendit Deus in Pharaone, non eum obdurando, sed obduratum flagellando et puniendo, de quo plura suis locis: alioqui enim si libere Pharaon se non obduravit, sed Deus eum obduravit, quae pugna fuit inter Pharaonem et Deum? sic enim Deus omnia, Pharaon nihil effecit. Quamquam, quaeso, in lapide obdurato Deus ostendit potentiam; aut quae potest esse cum lapide pugna?

Quaeres secundo, si non directe et positive, quibus ergo modis Deus dicitur indurasse Pharaonem?

Respondeo primo, permissive, ubi nota: Aliter et longe potentius permittit peccata Deus quam homo, v. g. princeps, eadem permittit: Deus enim omnium hominum voluntates in sua habet manu, ut eas quaquaversum fletere possit; voluntas vero hominis sine Dei nutu in nullum omnino opus, sive bonum sive malum exire potest, nisi Deus illi permissionis suae laxet habenas, imo cum illa positive concurrat et cooperetur, ad actum et opus hoc producendum. Sicut ergo is qui leonem fune constrictum tenet, si eum laxet et dimittat, leoque solutus aliquem occidat, dicitur tenens leonem hominem illum occidisse, non per se, sed per leonem quem dimisit: ita et Deus sineus voluntatem peccare et in peccatis se obdurare, dicitur ipse eandem obdurare, praesertim quia suo concursu ad hunc actum obdurationis concurrat.

Secundo, Pineda in Job cap. viii. vers. 20, num. 3, sic explicat: indurabo, et, ut hebraice est, aggravabo, aut confortabo cor Pharaonis, id est cor Pharaonis, durum, forte, potens resistere, minimeque limidum aut molle efficiam: haec enim naturalis constantia et animositas, qua fiebat ut Pharaon propositi sui esset tenax, nec facile illud mutaret, erat a Deo auctore natura, sed ipse Pharaon illa quasi armis, ut suo conditori resistere, abutebatur. Haec expositio vera est, sed non plena; nam haec durities Pharaonis, non tantum erat constantia quaedam naturalis, sed insuper pertiacia, protervia et pervicacia superbi animi; quorum vitiorum Deus non erat auctor, sed vel

Obijcit Calvinus, obdurare est agere, ergo non tantum est permittere obdurari, sed est efficere ipsam duritiam.

Respondeo majorem esse falsam: licet enim sententia iudicis debeat esse positiva, poena tamen per eam irrogata saepe est privativa, ut cum iudex punit aliquem privatione bonorum, inhabilitate ad officia et dignitates, etc.

Respondeo: Pluries hic dicitur quod Pharaon obduravit seipsum, ut patet ex dictis, rarius quod Deus eum obduravit, videlicet tantum in 6,

ipse Pharae, vel innata illi concupiscentia, et corrupte nature indoles.

Tertio, subtrahendo gratiam.

Tertio, induravit Deus Pharaonem, subtrahendo illi gratiam suam, qua cor ejus molliret, sicut sol indurat lutum, non positive efficiendo duritiam, sed exsugendo humorem, qui temperabat et mollebat lutum; sic et Deus, inquit S. Augustinus, « indurat cor non apponendo gratiam, non autem impellendo ad malitiam, » intellige « gratiam, » non omnem, sed copiosam, potentem et effluam; relinquit enim Deus obduratis aliquam gratiam, qua subinde eos movet et pulsat; alioqui essent ipsi omnino desperatae salutis, et quasi damnati; sed gratia haec rara est, tenuis et modica.

Quarto, dando ei opes, animos, imperium, gloriam, quibus ille se in sua tyrannide obfirmavit.

Quinto et aptissime, Deus dicitur obdurasse Pharaonem, quia cum videret eum durum et obstinatam, quaedam circa illum egit, ex quibus ille sumpsit occasionem magis obdurandi se. Pro quo nota: Pharae dominandi cupidus plane obfirmarat animum rediere Hebraeos, ut eis dominari posset, utque gentem tam insignem et industriam operibus publicis regni applicaret; ingens enim ab eis percipiebat emolumentum. Hinc factum est aut, cum Deus illos ab eo abstrahere et educere vellet, ille eo magis eos detinere cuperet, magisque animum suum in hac voluntate, ambitione et tyrannide obfirmaret.

Deus ergo obduravit Pharaonem, primo, suis plagis et flagellis, idque ea immittendo non simul et excessive, sed paulatim, moderate et per intervalla; ita ut requiem ei daret subtracto flagello ad tempus, quo fiebat ut hae flagella minora essent ejus tyrannide et duritie, nec molire aut frangere possent ejus animum, ita libidine dominandi Hebraeos accensum et obfirmatum, sed potius magis eum in illa accenderent et obfirmarent: cor enim ejus erat durum instar adamantis, qui quo magis tunditur, eo magis indurescit; durus enim et depravatus affectus omnia in suam duritiam et pravitatem convertit; et licet durante flagello videretur subinde molliori (prout alternantibus animi affectibus, subinde ad tempus molliuntur homines duri), tamen eo cessante, mox ad ingenium et duritiam suam redibat. Unde Exodi vii, 13, dicitur: « Videns Pharae quod data esset requies, ingravit cor suum. » Ita S. Augustinus hic, *Quest. XXXVI*, et Anastasius Nicenus, *Quest. XXIX*. Haec sicut pueri nequam et perveraces verberibus fiunt duriores, sic et Pharae verberibus Dei. Unde sicut preceptor flagellando puerum perveracem, dicitur eum flagellis suis obdurare, magisque perveracem efficere: ita Deus suis plagis dicitur indurasse, et durus reddidisse cor Pharaonis, non immittendo illi duritiam, sed obijciendo illi flagella, quibus ipse magis seipsum obduravit, fortiusque Deo restitit.

Adamas indurando dicitur et Pharae.

Secundo, obduravit Deus Pharaonem per miracula, primo, magorum: cum enim Pharae vidit magos suos eadem portenta facere qua faciebat Moses, contempsit portenta Mosis et Dei; unde tunc non tam Deus, quam magi dicuntur obdurasse Pharaonem. Postquam vero magi a Mose victi sunt, ab eoque ulceribus percussi, amplius coram Pharaone consistere, eumque obdurare non potuerunt, tunc demum dicitur Deus eum obdurasse, cap. ix, vers. 12: ibi enim primo dicitur, quod Deus induravit Pharaonem, quia scilicet hae Dei miracula simul erant plagae et verba, quae animum Pharaonis durum tundentia, non mollebant, sed duriores efficiebant. Adde tertio, Deus post plagas obijciat Pharaoni hasce aut similes cogitationes: Vult Deus ut illi cedas deo humiles; vult ut animum superbum et durum deponas; vult ut populum Hebraeorum, quem tyrannice opprimis, dimittas, esto ille tibi magno sit honori, utilitati et glorie. Quibus cogitationibus irritatus superbus Pharaonis animus, magis intumescerebat, indurescebat, exardescerebat et reluctabatur Deo, dicebatque: Quis mihi imperabit? ego sum Pharae rex magnus. Quis est Deus Hebraeorum qui hanc praedam mihi eripiat? non cedam, non dimittam populum. Et hoc proprie videntur significare verba Scripturae, quibus post plagas plerasque statim subditur: « Induravitque Dominus cor Pharaonis, et non audit eos. » Et hoc sensu ait Augustinus, lib. V *Contra Julianum*, cap. III, Deum non tantum sua patientia, sed et potentia (id est potenti imperio, plagis et flagellis) Pharaonem obdurasse. Obduravit ergo Deus Pharaonem, id est, illo providentiae modo in miraculis et flagellis tum immittendis, tum revocandis, in magorum artibus permittendis, in rigore rigidaeque petitione Mosis, et aliis circa illum usus est Deus, quibus Pharae obduruit magis, quibusque Deus eum se ex propria malitia, proprioque voluntatis arbitrio magis obduratum praesciebat, non autem quibus ipse eum obdurare intendebat.

Quaerens tertio, quid sit durities cordis et quae illius sint proprietates et effectus? Respondet S. Bernardus, lib. I *De Consideratione Eugenium*: « Cor durum, inquit, est quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollietur, nec movetur precibus, nec cedit minis, quin etiam flagellis duratur magis. Cor durum est ingratum ad beneficia, ad consilia infidum, ad iudicia severum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina: preteritorum obliviscens, presentium negligens, futurorum improvidum: ipsum enim est, cui preteritorum, praeter solas injurias, nihil omnino non preterit, praesentium nihil non perit, futurorum nulla est, nisi forte ad ulciscendum prospectio; et, ut brevi cuncta horribilis mali mala complectar, cor durum est, quod nec Deum timet, nec homines reveretur. »

Quarta, illi dicitur durus cor, qui est durus et effectus.

Proprietates duri cordis sunt, primo, indurati corde nolunt intelligere et bene agant, oculos et aures claudunt salutaribus monitis, nolunt audire ea quae sunt virtutis et salutis. « Qui, ut ait Job, cap. xxi, vers. 14, dixerunt Deo, recede a nobis, scelerum viarum tuarum nolumus. » Sic Pharae, *Exodi v, 2*: « Quis est, inquit, Dominus ut audiam vocem ejus? nescio Dominum; » hinc Job, cap. xxiv, ait tales esse rebelles lumini.

Secundo, hinc secundo, tales vicissim relinquit, projicit et despicit Deus, *Prov. i*: « Despexisti omne consilium meum, et increpationes meas neglexisti: ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo. »

Tertio, « tales, ut ait Sapiens, *Proverb. ii*, laudati eum malefecerunt, et exultant in rebus pessimis; quorum viae sunt perverse, et infames gressus eorum; » et cap. xii: « Quasi per risum stultus operatur scelus. »

Quarto, Deumque et homines contemunt. *Prov. xvii*, ait Deum esse tradidisse in desideria cordis eorum; hinc et *Psal. lxxii*, dicitur: « Transierunt in affectum cordis, » id est, quiquid corde affectarunt et concupierunt, hoc assecuti sunt, omniaque eis ex voto successerunt.

Quinto, peccatum eorum dicitur indelebile, et vulnus insanabile, quia aere et vix remittitur; hinc *Jerem. xvii*: « Peccatum Juda, inquit, scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino; » et cap. xxx: « Insanabilis fractura tua. »

Sexto, non pudet illos scelorum etiam turpissimum, sed, ut ait Jeremias, cap. iii: « Fronis mulieris meretricis facta est tibi, noluitis erubescere. »

Septimo, tales sunt pene incorrigibiles: unde de iis ait Sapiens, *Eccle. vii*: « Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit; » et *Sap. xii*: « Nequam est natio eorum, et naturalis malitia ipsorum, et non poterat mutari cogitatio eorum in perpetuum. »

Octavo, tales percussi a Deo non sentiunt. *Jerem. v*: « Domine, percussisti eos, et non doluerunt; » tales etiam non sentiunt stimulos et remorsus conscientiae, quia eam quasi exstinxerunt.

Nono, ob inveteratam et roboratam peccandi consuetudinem, fit istis quasi impossibile bene agere, et non peccare. *Jerem. xiii*: « Si mutare potest aethiops pellem suam, aut pardus varietates suas; et vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum. » Et S. Augustinus, lib. VI *Confess.*: « Suspirabam, ait, licitatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat ininvicem, et inde funes mihi fecerat. Ex perversa enim voluntate facta est consuetudo, et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas; quibusdam annulis sibiomet annexis tenebat me stricte dura servitus. »

Decimo, S. Paulus *ad Romanos*, i et ii, ait tales thesaurizare sibi iram, et traditos esse in repro-

bum sensum, et alibi vocat eos filios perditionis et diffidentiae, et vasa apta in interitum, qui desperantes se tradiderunt in omnem operationem inmunditiam.

Undecimo, isti peccata peccatis cumulant, et in dies in pejus proficiunt, et, ut dicitur *Apo. xvii*, qui in sordibus sunt, sordescant adhuc. « Tunc est consummata infelicitas, ait Seneca in *Prov.*, ubi turpia non solum dilectant; sed etiam placent; et desinit esse remedio locus, ubi quae fuerant vitia, mores fiunt. » Talis fuit Cain, *Genes. iv, 18*; filii Heli, *I Reg. ii, 22*; Saul, *I Reg. xvii, 18*; Sedecias, *II Paralip. xxxvi, 13*; Judai, *Jerem. ii, 20*; principes sacerdotum, *Matth. xxvii, 4*.

Quaerens quarto, quomodo Deus tractet obduratos, et quomodo se erga eos gerat?

Respondeo: In poenam peccatorum quae admiserunt, primo, permittit eos sequi suos cupiditates et libidines, nec ab illis removet eorum illecebras, occasiones et tentationes, *Psal. lxxx*: « Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adventionibus suis. » Et Paulus *ad Rom. i*, ait Deum esse tradidisse in desideria cordis eorum; hinc et *Psal. lxxii*, dicitur: « Transierunt in affectum cordis, » id est, quiquid corde affectarunt et concupierunt, hoc assecuti sunt, omniaque eis ex voto successerunt.

Secundo, dat eis Deus affluentiam rerum temporalium, et prosperos successus, quibus illi excecati ruunt in omnia scelera suumque exitium, *Ps. lxxii*: « Prodit quasi ex adipis iniquitates eorum, » id est, ex corde adipato et pingui, ob abundantiam rerum temporalium, iniquitas eorum processit.

Tertio, aufert ab eis Deus tribulationes, quibus castigati peccatores redeunt ad sanam mentem, *Psal. lxxii*: « In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur; » aut si eos flagellat, minora eis immittit, quam ut eorum durities flecti aut frangi possit, quo fit ut ipsi flagellis Dei magis se obdurent.

Quarto, Deus vetat Sanctos orare pro iibus, *Jerem. vii*: « Tu noli orare pro populo hoc, et non obsistas mihi, quia non exoriam te; » et cap. xv: « Si steterit Moses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. »

Quinto, amovet Deus ab eis bonos monitores, confessarios, doctores et angelos sanctos, *Jerem. li*: « Curavimus Babylonem, et non est sanata: derelinquamus ergo eam, quoniam pervenit usque ad oculum iudicium ejus; » et Paulus *Act. xii*, ad Iudaeos: « Quoniam repellitis illud (verbum et regnum Dei), ecce convertimur ad Gentes; sic enim praecipit nobis Dominus. »

Sexto, aufert ab eis praedicationem verbi sui, qua animus illuminatur, pascitur, flechitur, excitatur ad penitentiam. *Amos viii*: « Evitavit famem in terram: non famem panis, neque sifim aquae, sed audienti verbum Domini. »

Septimo, Dei permisso tales incidunt in adula-

Tristitia

Quaestio IV. Quomodo deus tractat obduratos? Resp. primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Quinto.

Sexto.

Septimo.

lores, et malos consiliarios, qui eos in mala, suamque ruinam impellant. Sic Roboam stultorum juvenum consilium sequens, magnam regni partem perdidit. Sic Absalon neglecti utile consilium Achitophel, pretulitque consilium Chusai, quod sibi fuit exitio.

Octavo. Octavo, permittit Deus enasi falsos doctores et prophetas, qui suis signis, hypocrisi, blandiloquentia, induratos seducant, uti fecerunt magi apud Pharaonem, itaque faciet Antichristus, II *Thessal.* II, 42.

Nono. Nono, laxat Deus habenas diabolo; ampliores dans ei facultatem insidiandi et nocendi talibus hominibus, qua ille accepta, eos mire exagitat et tentat, tum seducendo eorum mentes vanis et falsis opinionibus, tum obijciendo varia objecta voluptatum, variasque illecebras vitiorum, tum etiam turbando phantasmata, et inflammando affectus, tria pseudoprophetas mittendo qui eos seducant, ut qua re mira extat visio Michae prophetae III *Reg.* XXII, 49.

Decimo. Decimo, autem ab eis bona exempla, bonos praesides et principes, bonos socios, omniaque pene salutis subsidia, et contraria eis obijci permittit, quae eos incitent ad omne malum, quo fit ut nusquam non offendant et cadant, quod pulchra similitudine vineae declarat *Isaias* cap. v. Ita Pericris.

Denique obstinate voluntatis merces est obstinatum et perpetuum gehennae incendium. Audi S. Bernardum *Epist.* 233 : « Ob hoc inflexibilis et obstinata mentis malum punitur aeternaliter, licet temporaliter perpetrata; quia quod breve fuit tempore, vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate : ita ut si nunquam moreretur, nunquam velle peccare desineret, imo semper vivere vellet, ut semper peccare posset. »

Vers. 4. 4. IMMITTAMQUE MANUM, — percutiam, affligam, puniam.

PER JUDICIA MAXIMA, — per maximas plagas. Unde Septuaginta vertunt *ὡς ἐκδικήσῃ* *παράδειγμα*, cum ultione magna, quae omnibus justissimum Dei iudicium in Aegyptios ostendat.

Vers. 6. 6. ITA EGERUNT. — Est pleonasmus Hebraicus. Jam enim dixit eos ita fecisse.

Vers. 7. 7. ERAT AUTEM MOSES OCTOGINTA ANNORUM. — Ergo cum Moses 40 annis praefuerit populo in deserto, *Deuter.* VIII, 2, mortuusque sit anno aetatis 120, *Deuter.* XXXIV, 7, hinc sequitur eum statim haec signa et has plagas coram Pharaone inchoasse, easque omnes brevi tempore complisse, cum inchoaret annum aetatis 81, eodemque anno sub initium veris, populum ex Aegypto eduxisse. Ita Rupertus et Abulensis.

Vers. 8. 8. DIXITQUE DOMINUS AD MOSEN ET AARON, — ad Aaron mediate; nam immediate soli Mosi loquebatur Deus. Unde subdit : « Dices ad Aaron. »

Vers. 9. 9. OSTENDITE SIGNA. — Hebraice est, *dte pro vobis signum*, id est, signo probate ea quae dicitis, scilicet Deum velle, ut ego Hebraeos ex Aegypto dimittam.

TOLLE VIRGAM TUAM. — Eadem virga nunc Moisis, nunc Aaronis, nunc Dei dicitur, quia horum omnium fuit instrumentum ad patranda miracula et plagas Aegypti.

10. FECERUNT SICUT PRAECEPERAT DOMINUS. — Ergo prius Moses et Aaron rogarunt Pharaonem ex parte Dei, ut dimitteret Hebraeos ad tres dietas sacrificii causa; sed cum hoc abnueret Pharaeo, et peteret signum, mox Aaron protulit virgam, quae versa est in colubrum : Deus enim non volebat haec signa ultro obtrudi Pharaoni, sed tantum ea fieri illo petente, ut patet vers. 9.

TULIT. — Hebraice, chald. et graece est *proiecit*.

41. VOCAVIT AUTEM PHARAO SAPIENTES ET MALEFICOS. — « Sapientes » hic vocantur rerum arcanarum, vel artis admirabilis periti, qui et malefici et incantatores erant. Pro *maleficos* hebraice est *מכשפים* *meccassephim*, quod proprie prestigiatore significat, sed extenditur ad quoslibet magos. Septuaginta vertunt, *sophistas et pharmacos*, id est veneficos; Onkelos vertit, *magos*; Aquila *κρυφαίς*, id est occultorum cognitores et patratores.

Principes horum fuerunt Jannes et Mambres, ut patet II *Timoth.* III, vers. 8, de quorum sepulcro mira narrat Palladius in Vita beati Macarii ab eo visa et comperita : scilicet sepultos eos esse in hortis, in quibus ipsi dum viverent, omnis generis arbores plantaverant, sperantes fore ut post mortem in illo quasi paradiso, deliciis fruerentur; hic autem locus tenebatur a demonibus, qui proinde beatum Macarium cum ingredientem invaserunt, sed ab eo signo crucis fugati sunt. Macarius autem singula lustrans, invenit fructum malorum puniceorum, quae nihil intus habebant; erant enim arefacta a sole; plurima item aurea donaria.

Nota : Plinius, Justinus, S. Augustinus et alii passim tradunt inventorem magiae fuisse Zoroastrem, qui eodem die quo natus est risit, vixitque tempore Nini et Abrahae, fere 600 annis ante Moysen : hunc Zoroastrem nonnulli volunt esse Cham filium Noe.

Apud Cassianum vero Serenus Abbas, *Coll.* VIII, cap. XXI, originem magiae priorem diluvio facit: ait enim illam coepisse eo tempore, quo filii Dei permixti sunt filiabus hominum, *Genes.* VI, nec perisse magiam diluvio, eo quod Cham illam didicerit ante diluvium, et promulgarit post diluvium.

FECERUNT SIMILITER. — Quereres, quod modis possint magi et demones mira sua efficere (1)?

Suippono, nec demones, nec magos posse vera miracula efficere. Miraculum enim est id quod omnem naturae vim, omnemque causarum naturalium ac hominum et angelorum facultatem superat : possunt tamen facere nonnulla, quae ho-

(1) Cf. Meignan, *Les Propheties Messianiques de l'Angl.* Test., pag. 162.

minum aliarumque rerum naturalium vim superant, quae proinde hominibus mira sunt, non miracula.

Dico primo, mira pleraque quae facit demon, non sunt res verae et reales, sed tantum praestigiae. Potest enim demon phantasiam, vel oculos ita perstringere et ludificare, ut videre se putent quod revera non existit, idque primo, phantasiam hominum ita valide commovendo, ut imaginentur se videre id quod non existit, quomodo somniantes putamus nos mira videre, quae revera non sunt. Mira hujus rei exempla affert Galenus et alii, ut de illo qui per vitiatam imaginationem putabat, se nasum habere ingentem instar ulnae; et altero, qui volebat tangi, eo quod se diceret habere corpus vitreum; et tertio, qui edere volebat, eo quod diceret se esse mortuum. Secundo, organum visus turbando, quomodo ophthalmici mira se videre putant quae revera non sunt, nec videntur. Tertio, exterius medium immutando, quomodo in aquis baculus rectus videtur fractus vel reflexus. Hoc modo, per praestigias scilicet, Apollonius Tyaneus mortuum resuscitavit; nam ope demonis illusit oculis hominum, ut vivum putarent qui erat mortuus. Hoc modo et Circe maga Ulyssis socios in varias bestias transformavit. Sic et venefice Iliae Italae, quarum meminit Augustinus, lib. XVIII *De Civit.* XVIII, viatores transformabant in iumenta quae sua onera balularent. Sic et hodie lycanthropi per praestigias se in lupos transformant, ovesque, quin et homines invadunt et laniant. Sic etiam demon sagis dat aurum, argentum, et cibos subinde, non veros, sed phantasticos; unde cum ad se redeunt, esuriunt, ac si nihil comedisent.

Dico secundo, demones mira possunt facere per motum localem : sunt enim celerrimi et fortissimi. Sic primo, Satan igne et caelo demisso oves et pueros Job consumpsit, *Job* I. Sic hisce annis per ventos validissimos domos et turres subvertit. Sic secundo, sustulit Simonem Magum in aera, ut volaret; sic et hodie volant saepe nostrae. Sic ait Albertus Magnus aliquando boves pluisse, quos videlicet aliunde demones, vel angeli prius in aera sustulerant. Tertio, potest demon subito hominem, vel rem aliam e conspectu hominum subtrahere, atque ita reddere invisibilem. Sic Apollonius ex oculis Domitiani evanuit. Sic Gyges per anulum faciebat se presentibus invisibilem. Non potest autem demon facere, ut unum corpus sit in duobus locis, aut duo corpora in uno loco, ut corpus de extremo in extremum transeat, non pertransendo spatium medium. Rursum : « Cum demon, inquit S. Thomas, I p., *Quest.* CXIV, art. 4, ad 2, possit formare corpus ex aere, ejusecundumque formae et figurae, ut illud assumens in eo visibiliter appareat : eadem ratione cuicumque rei corporeae potest circumponere quamque formam corpoream, ut in ejus specie videatur. » Quarto, potest facere demon ut statuae movean-

tur, ambulent et loquantur, quia ipse eas movet, et juxta eas sermonem humano similem in aere efformat. Simili modo effecit ut Claudia, Vestalis Romana, in testimonium pudicitiae, navem in Tiberi haerentem zona sua extraheret, et duceret quo vellet; Tuccia vero eandem ob causam, aquam Tiberi haustam in cribro, ad Capitolium perferret. Quinto, potest demon cadavera aut larvas hominum, leonum et animalium induere, per eaque, quasi viva essent, ludificare et terrere homines, uti conatus est facere S. Antonio. Sexto, miros affectus amoris, odii, irae, tristitiae, mira etiam phantasmata in homine excitat, commovendo humores in corpore, praesertim bilem atram et flavam.

Dico tertio, potest demon mira efficere applicando activa passivis, eaque commiscendo per causas naturales; rerum enim naturalium miras virtutes ipse penitissime cognoscit. Si enim thiriacam et pharmaca facit Medici, quorum miras virtutes experimur : multo majora facere potest demon, qui longe melius vires herbarum, gemmarum, animalium aliarumque rerum cognoscit, quicque eas ex India, aliove orbe celerrime afferre, et cum aliis permiscere potest; nullam vero formam substantialem, vel accidentalem immediate producere potest demon; imo non potest animal perfectum producere sine semine, aut ex semine subito perfectum et juste magnitudinis efformare; denique non potest quivis in quodvis transformare, nec suspendere actionem causarum naturalium.

Hoc tertio modo mira posse efficere demones patet, tum ex eo quod hoc modo res nonnullas mira agere videamus, uti de remora piscicula narrat Plinius, lib. XXXI, cap. 1, quod ingentes naves si eis adhaereat, etiamsi ventis validissimis agitentur, remoretur et sistat; tum quod homines hoc modo mira agant, ut de Archimede narrat Plutarchus in *Marcello*, quod ipse solus per machinas mathematicas ingentem navem onerariam ad se adduxerit, et ingentem stragem in classe Romanorum ediderit. Hoc modo et Severinus Boetius in epistola quadam sive a Cassiodoro, sive a Theodorico ad eum scripta, dicitur quasi miracula quaedam fecisse, scilicet ut metallum mugirent, aeneus anguis sibilaret, aves simulate canerent dulcissime, homines acri in aere buccinarentur. Plura vide apud Deh. *De Magia*.

12. PROJEGERUNTQUE SINGULI VIRGAS SUAS, QUAE VERSE SUNT IN DRACONES. — Aliqui putant magos An dracones magorum esse, vel eis magorum esse, uti dicitur in *Genes.* XXXI, 32, quod magus Pharaonis projecit virgam suam in draconem, et versemur in draconem. Alii putant magos An dracones esse, uti dicitur in *Genes.* XXXI, 32, quod magus Pharaonis projecit virgam suam in draconem, et versemur in draconem. Alii putant magos An dracones esse, uti dicitur in *Genes.* XXXI, 32, quod magus Pharaonis projecit virgam suam in draconem, et versemur in draconem.

Tertio, applicando activa passivis.

Vers. 12. An dracones magorum esse, vel eis magorum esse.

Negat Nysseus.

Resp. primo, praestigiae, ut visus vel phantasia.

Mgi Pharaonis.

Exemplis, per motum localem.

Cham.

Quest. CXIV, art. 4, ad 2.

phantasmata prestare, et corpora fingere, quibus exteriores oculos circumveniunt; sed Mosis veritas mendacium eorum devoravit.

Afirmat S. Augustinus etiam aliique veritas est.

Verum veritas est, quod censent S. Augustinus, Theodoretus, Lyranus, Abulensis, Burgensis, Cajetanus et alii, veros hos magorum fuisse dracones.

Probatur primo, nam S. Scriptura æque hos magorum, atque illos Aaronis et Mosis, dracones vocat. Secundo, quia draco Aaronis devoravit dracones magorum: quæ sane devoratio vera fuit. Neque enim in divinis his Mosis portentis ulla fuit illusio; sic enim vanis spectris lusisset Ægyptios Moses; fuerunt ergo vari dracones, qui a magis producti a dracone Aaronis sunt devorati. Tertio, quia in tertio signo ciniphum defecerunt magi, quia non poterunt eos producere; ergo priora duo signa vere fecerunt, alioqui etiam in ipsis defecissent. Quarto, si non fuissent veri serpentes, Moses detexisset hanc fallaciam, itaque eos confudisset. Denique demon hic omnem suam vim et industriam exseruit; ergo veros hic exhibuit dracones; verum enim ne, si fictos exhiberet, Moses fraudem detegeret, magna sua et magorum ignominia et ludibrio.

Quæres, quomodo hos dracones produxerint magi? Cajetanus putat dæmones has virgas magorum per res aliquas naturales nobis ignotas, sed efficacissimas, sensim jam ante disposuisse ad formam draconum; ita ut, cum magi virgas in terram projicerent, ille jam ultimam habentem dispositionem ad formam draconum, quæ proinde tunc statim sit inducta productique sint veri dracones.

Refellit.

Verum hoc parum est probabile, tum quia dracones cum sint animalia perfecta, non possunt nisi ex semine parentis (quod hic non fuit) generari; tum quia nulla causa naturalis potest virgam immediate in draconem convertere: longissime enim distant virga et draco; sed prius virgæ corrumpti, et in alias aliasque res, ac tandem in dracones converti debent. Hæc autem virgæ cum magi eas projicerent, erant veræ virgæ, ac statim pro virgis apparuerunt dracones: ergo non poterunt illi tam cito et immediate ex conversione virgarum effici: inter formas enim est ordo quidam naturalis, qui nec a dæmone, nec ab angelo, sed a solo Deo immutari potest. Tertio, quia dracones hi non erant teneri et parvi, sed magni, perfecti et longi instar virgarum: erant enim æquales virgis; alioqui non fuissent vise virgæ mutari in dracones.

Resp. secundo Cajetanus dicit dracones magorum produxisse.

Secundo, Calvinus censet Deum virgas magorum mutasse in serpentes, eos scilicet creando, quos magi pro virgis supponerent: Deum autem id fecisse justa vindicta, ut scilicet Pharaonem et Ægyptios, impios et incredulos mendacio irriteret et obduraret. Sed apage blasphemie monitum! Scriptura enim vers. 11, discrete ait hoc non

per Deum, sed per incantationes magorum, quibus utique invocatus dæmon aderat, effecta esse; et si Deus hic utrobique, scilicet tam apud Moysen, quam apud magos, fuit opifex draconum; ergo secum ipse pugnavit, et tam mendacii magorum, quam veritatis apud Moysen testis fuit; tam enim hoc, quam istud per opus supernaturalis, perque sigillum sibi proprium, puta per miraculum, obsignavit et confirmavit.

Dico ergo dæmones aliunde hos dracones adduxisse, eosque virgis subito et imperceptibiliter subductis, earum loco substituisse: ita ut quicumque hæc videret, magie et fraudis ignarus, putaret magos æque ac Aaronem, virgas suas in serpentes convertisse: et hæc ratione Scriptura, quæ more vulgi loquitur, dicit magos fecisse similes ac fecerat Aaron; simili enim modo dicit cap. III, vers. 2, rubrum arsisse, quia intuentibus videbatur ardere, cum revera non arderet; sic angelos ait comadis, quia videbantur comedere, cum revera non comederent.

Idem dico de secundo et tertio signo, nimirum de aqua in sanguinem versa, et de ranis a magis productis: videlicet tam sanguinem, quam ranas non fuisse a dæmone productas, sed aliunde adductas. Naturaliter enim verus sanguis nec alibi generari potest, quam in animali, nec aliter, quam virtute animæ, et per calorem naturalem qui est in animali. Moses vero supernaturaliter Dei virtute aquam in sanguinem vertit, et ranas subito ex aquis produxit. Hinc Hebræi hi magi vocantur *meccassaphim*, id est prestigiatores, non quoad rem productam, vel potius adductam, sed quoad modum operandi. Videbantur enim virgam in draconem convertere, cum reipsa non converterent, sed draconem aliunde adducerent, et latenter pro virga substituerent.

Quæres, cur permisit Deus magos hæc miracula efficere?

Respondeo primo, ut ostenderet quantum ars magica possit, quamque sensibus hominum imponat. Secundo, ut in hisce miris magi superarentur a Mose, nec magus putaretur esse Moses, sed potius appareret magorum antagonista, victor et domitor, ac consequenter verus magnusque magni Dei servus et Propheta: ita S. Chrysostomus, hom. 46 in Acta Apostolorum. Tertio, ut ostenderet impios piis, pseudoprophetas prophetis semper adversari et obliterari: ita Michaeli restitit Lucifer, Abelo Cain, Isacco Ismael, Jacobo Esau, Josepho fratres, Mose Dathan et Abiron, S. Petro Simon Magus, Paulo Judæi, Apostolis philosophi; magi et heretici. Quarto, ut ostenderet dæmonem esse veluti simiam Dei; sicut enim Deus, sic et dæmon Dei emulus vult habere suos prophetas, sua templa, sua sacrificia, sua miracula, suos Religiosos. Quinto, ad probandam fidem et constantiam Mosis et Hebræorum, nam per hæc magorum signa in veri Dei cultu, ejusque promissis sibi factis titubarent et dilaarent.

Refellit.

Diabolus est serpentis car?

Resp. Tertio, et vero dæmones aliunde hos dracones adduxisse.

Sæto, ad majorem execrationem et punitionem Pharaonis.

Denique permixtus est dæmon efficere serpentem, quia ipse est serpens antiquus, qui Evam decepit, et etiamnum multos decipit. Audi S. Cyprianum et tractum de Simplic. Clericor. Diabolus est serpens, quia cum latenter obrepit, cum per pacis imaginem factus, occultis accessibus serpit (unde nomen serpentis accepit), ea est ejus astutia, ea est circumvenendi hominis caeca et latebrosa fallacia, ut asserere videatur noctem pro die, venenum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub pretextu fidei. Antichristum sub vocabulo Christi: ut, dum veri similia mentitur, veritatem subtilitate frustretur. Nam transfignatur se in angelum lucis. Hucusque Cyprianus vel potius Origenes. Origenes enim hunc tractatum esse, et a Cypriano, vel ab alio ea adfate ex Greco in Latinum esse conversum, tum ex phrasi et grecismis, tum plurium Doctorum auctoritate docet Pamelius in præfatione illius libri. Et S. Gregorius, lib. XXXII Moral. cap. xx: «Diabolus, ait, dicitur jumentum, draco et avis; homines enim tentat tribus vitiis: luxuria, malitia et superbia. In eis igitur quos ad luxuriam excitat, jumentum est; ad nocendi malitiam, draco est; ad superbiam, avis est.» Et S. Leo, serm. 8 De Nativit.: Diabolus est vafer serpens: quia «novi cui adhibeat astus cupiditatis, cui illecebras gula ingerat, cui apponit incitamenta luxurie, cui infundat viras invidie. Novit quem merore conturbet, quem fallat gaudio, quem metu opprimat, quem admiratione seducat; omnium consuetudinem, ventilat curas, scrutatur affectus: et ibi causas querit nocendi, ubi quemque viderit studiosius occupari.»

Virga id est serpens, cur?

Resp. cap. 2, dicitur quod dæmones permixti magis hanc effecerunt.

SED DEVORAVIT VIRGA AARON VIRGAS EORUM. — «Virga,» id est serpens in quem virga erat conversa, «devoravit virgas,» id est serpentes sive dracones, in quos virgæ eorum erant conversæ. Jam enim non virga erat, sed serpens; nec virgæ, sed serpentes habent os, quo alia devorare possint; est metonymia: res enim sæpe appellantur ex eo quod fuerint, sive nomine rei ex qua sunt conversæ. Ita Philo, S. Augustinus, Prosper supra, Ambrosius, lib. III Offic. cap. XIV, Cajetanus et alii. Simili, sed potiori ratione (quidquid hic Calvinus obstrepat), caro Christi in Venerabili Sacramento dicitur panis I Cor. cap. XI, vers. 26, et Joan. cap. VI, vers. 31. Nam Hebræi quemlibet cibum, etiam carnem, vocant panem; presertim cum in Eucharistia accidentia panis remaneant et videantur, ita ut homines ex oculis et sensu judicantes, recte panem nominent, quia panis species vident et tangunt. Hinc patet quod Deus permiserit magos tam mira operari eo fine, ut illustrior foret victoria sua, id est Dei veri contra deos, vel dæmones potius, Ægyptiorum; ipse enim vero miraculo falsa eorum oppressit.

Nota hic: Solet Deus detegere, aut dare indicia

sufficiencia fraudis et imposture, cum magi, heretici vel infideles faciunt mira, quæ pro miraculis venditant. Hoc enim pertinet ad Dei providentiam curamque quam circa homines, presertim fideles et bonos, gerit, ne illi inviti et in seculi in errore inducantur. Fuit ergo hic Pharaon inexcusabilis.

Quæres, quibus modis soleat Deus vera miracula a falsis discernere.

Tria signa et discrimina in magis his assignat Theodoretus.

Primo: «Mutabant, inquit, illi quidem virgas in serpentes, sed virga Mosis virgas illorum devoravit: mutabant aquam in sanguinem, sed sanguinem in priorem naturam reducere non poterant: produxerunt illi ranas, sed molestiam et incommoda ranarum Ægyptiis auferre non poterant, sicut fecit Moses. Concessit itaque Deus magis talia facere, ut etiam per ipso castigaret Ægyptios: non tamen concessit eis, ut illatam plagam auferre possent. Non ergo fuit contentus Deus plagis a Mose illatis, sed eas per magos adauxit, q. d. regi: Quia unpuri te delectat, tuorum etiam servorum opem te castigabo, et gravius plectam.»

Secundo: «Cum videt regem ob id magis indurari, magorum facultatem cohibuit, ut qui majora animalia, puta ranas, produxerant, parvos ciniphes producere non possent, coegitque eos confiteri suam imbecillitatem, ac dicere: Digitus Dei est hic,» cap. VIII, vers. 19.

Tertio: «Magorum corpora pustulis afflixit, cap. IX, vers. 11, ut tum illi, tum fatuus eorum rex evidenter cognoscerent, quod non solum plagas a Deo immissas auferre non possent, sed etiam ipsi cum reliquis plecterentur.» Hucusque Theodoretus.

Quarto, his addit S. Augustinus, Quæst. LXXIX Quarto, inter 83, vera miracula a falsis discerni jure, id est, auctoritate et potestate qua fiunt: «Magi, inquit, mira faciunt per privata commercia cum dæmone, Sancti vero ea faciunt publica administratione, et jussu ejus cui omnis creatura subiecta est. Magi ergo per privatos contractus, Sancti vero per publicam justitiam hæc operantur.»

Addit quinto, qui faciunt vera miracula, sunt fideles, probi et sancti ut plurimum; qui vero falsa faciunt, sunt improbi, flagitiosi et sæpe malefici.

Sæto, quæ faciunt magi, sæpe sunt tantum phantastica et simulata, ideoque non sunt diuturna, sed mox detegitur eorum falsitas et vanitas; vel sunt plane inutilia, imo etiam perniciosa: vera autem miracula sunt opera vera et solida, et utilia hominibus, nec nisi magna quæpiam utilitate aut necessitate facta.

Septimo, magi in suis utuntur multis prestigiis, mendaciis, ludificationibus hominum, variisque signis et figuris, v. g. litteris et verbis, vel nihil vel absurda significantibus, aliisque su-

Quæ nota vera miracula a falsis discernit. Theodoretus.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Quinto.

Septimo.

perstitiosis ceremoniis, miscenque sacra profanis, itaque ea profanant et contaminant: nihil tale faciunt Sancti, sed per preces, signum crucis, aliusque res sacras miracula operantur.

Octavo, magi et demones mira faciunt malo fine, puta ob lucrum, vanam ostentationem, gloriam, vel honorem, ut divinum nomen et cultum sibi conciliant; vel ut pervertant veram fidem, falsamque hominibus persuadeant; vel ad patranda maleficia et scelera, uti sunt furta, adulteria, neees hominum et animalium: Sancti vero ea faciunt, ut Deum honorent et glorificent, utque sanctam Ecclesiam aedificent et illustrent, atque homines tum in corpore, tum magis in animo et spiritu adjuvent. « Magi, inquit S. Augustinus supra, faciunt que videntur miracula, querentes gloriam suam: Sancti vero faciunt miracula, querentes gloriam Dei. » Magi ergo hi vanæ ostentationis causa sua signa promebant; Aaron vero causa iustæ vindicte et increpationis. Sciebat enim Pharaon injuste se premere Hebræos, justeque ideo vindicem Dei manum sentire. Ergo magi arcano carmine ac ritu, qui satis principem tenebrarum invocari monstraret, sua signa edebant: Aaron vero Dei iussu et publica manuum elatione, quasi Dei nomine, aquis aliisque rebus imperans; quem verum esse Deum facile agnoscere poterat, tum quia natura docet primum ens, sive ens entium a quo manat omne ens, quod significat nomen Iehova a Mose semper signis prelatum, esse ipsum Deum; tum quia ex prece-dentium seculorum historia facile scire poterant, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, etc., Deum verum coluisse, ab eoque mire semper adjuutos esse; eundem autem invocabat hic Moses quasi Deum patrum suorum.

Allegorice, Origenes: « Virga Mosis, inquit, est crux Christi; hæc postquam in terram projecta est, id est postquam ad credulitatem et fidem hominum venit, conversa est in sapientiam, et tantam sapientiam, que omnem Ægyptiorum, id est huius mundi sapientiam devoraret. » Et S. Ambrosius, lib. III *Offic.* cap. XIV: « Projecit Moses, inquit, virgam, et serpens facta devoravit serpentes Ægyptiorum, significans quod Verbum caro fieret, que serpents dira venena vacuaret per remissionem et indulgentiam peccatorum. Virga enim est verbum directum, regale, plenum potestatis, insigne imperii. Virga serpens facta est, quoniam qui erat Filius Dei, ex Deo Patre natus, filius hominis factus est, natus ex Virgine, qui quasi serpens exallatus in cruce, medicinam vulneribus infudit humanis. Unde et ipse Dominus ait: Sicut Moses exallavit serpentem in deserto, ita exallari oportet Filium hominis. » Similia habet Rupertus et Prosper in *Catena Leporiana*. Ibidem S. Hieronymus: « Sicut virga Mosis, inquit, devoravit virgas magorum, ita mendacium Antichristi Christi veritas devorabit. » Isidorus vero: « virga Mosis, inquit, in draconem conversa,

magorum absorbit virgas: et Christus postposita gloria suæ dignitate, factus est obediens usque ad mortem, et per ipsam mortem carnis consumpsit aculeum mortis, attestante Propheta: Ero mors tua, o mors, ero morsus tuus, inferne. »

13. INDURATUM EST COR PHARAONIS. — Quia vidit magos suos similia signa fecisse ac fecerat Moses, parum cogitans de devoratione, quod scilicet serpens Mosis devorasset dracones magorum.

15. STABIS IN OCCURSUM. — Prævenies ejus adventum ad ripam fluminis Nili, ut veniens in te incurrat (1).

17. PERCUTIAM VIRGA. — Jam ergo serpentem ex virga factum, rursus in virgam converterat Deus, ut per eam alia deinceps miracula patraret.

QUE IN MANU MEA EST. — Verba sunt Dei, et tamen Moses virgam manu sua tenebat, non Deus; videlicet, quia Deus Mosen fecerat Deum Pharaonis, suamque ei potestatem dederat, ut juberet Aarone percutere Nilum, itaque eum in sanguinem convertere. Hi ergo tres, scilicet Deus, Moses et Aaron, quasi unus censentur, sicut causa principalis et instrumentaria vocantur una causa efficiens. Deus enim hic fuit causa prima, Moses fuit mandans, Aaron exequens.

18. PISCES MORIUNTUR. — Pisces enim extra aquam vivere nequeunt, maxime in sanguinem, qui crassus et calidus repugnat complexioni piscium.

COMPUTRESCENT AQVE. — morticinis piscium inficiuntur et corrumpuntur. Aquas vocat, que fuerant aquæ; jam autem erant sanguis. Septuaginta vertunt, *ἀποθνήσκουσι*, fervebit vel effervescescitur: quia pro **UND** *baas*, id est putrescet, aliis punctis legerunt *bees*, id est in igne, scilicet erit, hoc est fervebit fluvius, ita ut videatur in igne vel igni impositus esse.

19. AFFLIGENTUR ÆGYPTI. — Hebraice *יִכָּלְוּ מִצְרַיִם*, id est laborabunt, ut bibant, q. d. Abhorrebunt a potu sanguinis, sitique cruciabantur.

ET OMNES LACUS AQUARUM. — Hebraice, *omnem congregationem aquarum*; sic et Septuaginta. Unde patet omnem omnino aquam, etiam puteorum, fontium et cisternarum in sanguinem esse versam, idque sequentia indicant: nam aliqui non fodissent terram ad aquam eliciendam; quod tamen fecisse dicuntur vers. 24.

ET SIT CADOR IN OMNI TERRA ÆGYPTI. — Ergo et in terra Gessen aquæ in sanguinem sunt versæ, inquit Abulensis, sed Ægyptiis tantum. Nam Hebræis aquæ erant dulces et potabiles, inquit Josephus. Ægyptii enim in terra Gessen hæc plaga erant dignissimi, utpote qui Hebræos maxime opprimebant.

(1) Notat Aben-Esra hunc morem hodieque in Ægypto obtinere, ut rex mensibus Thammuz et Ab (Junio et Julio) exeat mane ad fluvium (Nilum), visum quot gradibus aqua creverit. Nam ex eo conjecturam capiunt de illius anni futura ubertate aut sterilitate. Alii conjiciunt, Pharaonem se quovis mane ad flumen contulisse lavandi causa. Cf. supra n. 5.

Agua Ægyptiorum versa est in sanguinem quia ipsi illis mactaverunt idola Hebræorum.

Quæres, cur hæc prima Ægypti plaga omnes ejus aquæ sint versæ in sanguinem? Respondeo, quia ipsi aquas suas sanguine infantium Hebræorum infecerant, submergendo eos, cap. I, vers. 22: juste ergo puniuntur in aquis, in quibus peccarant. **Secundo,** quia in Ægypto vix pluit; unde ibi vix alias habent aquas quam Nilum, qui exundando fœcundat totam Ægyptum. De Nilo ergo plurimum gloriabantur Ægyptii, seque beatos jactabant. Hinc et Nilo multas superstitiones, et pene divinos honores adhibebant, ut testatur Solinus cap. xxxv, et Plinius lib. VIII, cap. xlvi. Ultramque hæc causam affert Theodoretus: « Fluvius, inquit, ille mutatus in sanguinem, velut conquirebatur de cæde puerorum per Ægyptios commissa; » et, ut dicitur *Apocal. xvi*, 6: « Justus es, Domine: quia sanguinem Sanctorum et Prophetarum effuderunt, et sanguinem eis dedisti bibere: digni enim sunt. »

Quæres secundo, quanta et quam acerba fuerit hæc plaga. Respondeo primo, omnis omnino aqua Ægyptiorum versa est in sanguinem, totusque Nilus, quam longus est ab Æthiopia usque ad mare. Ubi nota, non unum hic fuisse miraculum, sed multa, vel potius unum continuatum, per continuam aquarum Nili affluentium in sanguinem conversionem, idque per septem dies. Nam Nilus in Æthiopia puras ferebat aquas; ubi vero attingebat fines Ægypti, mox vertebatur in sanguinem, idque assidue et continuo per septem dies. **Secundo,** aquis sublatis homines et jumenta siti cruciabantur. **Tertio,** pisces emortui sunt. Hinc **quarto,** computrescente fluvio et piscibus, pestilentia exorta est, ex qua, et ex siti adeo multi enecti jacebant in trivis, ut domestici non sufficerent ad eos sepeliendos, ait Philo. **Quinto,** aqua non tantum colorem, sed et naturam habebat sanguinis, erantque verus sanguis. Unde si quis siti coactus inde gustasset, confestim acri dolore corripiebatur, ait Josephus.

22. FEVERUNTQUE SIMILITER MALEFICI. — Quæres, unde malefici habuerint aquam quam verterunt in sanguinem? nam omnis aqua jam a Mose conversa erat in sanguinem. Respondet S. Justinus, *Quæst. xxvi ad Orthodoxos*, Ægyptios fodisse puteos circa flumen, et ex eis hausisse aquam. **Secundo,** Theodoretus respondet hæc aquam a mari vicino fuisse allatam: non enim aqua marina, ut voluit Genebrardus, in *Psalm.* cxiv, sed tantum dulces et potabiles, teste Scriptura, conversa fuerunt in sanguinem, in *Psalm.* cxiv, sed tantum dulces et potabiles, teste Scriptura, conversa fuerunt in sanguinem, ut scilicet siti cruciarentur Ægyptii. **Tertio,** alii respondent, per Dei providentiam aliquid aque pro magis fuisse asservatum, ut aquæ omnes, id est pene omnes, fuerint converse in sanguinem: exiguum enim tanta molis nil demere videtur.

Quarto, Hebræi putant solas aquas Nili versas fuisse in sanguinem: ergo ex fontibus eos habuisse aquas; sed hi errant, ut dixi. **Quinto,** Cajetanus censet eos habuisse aquas eas, que ser-

vata erant in vasis testaceis et metallicis. Nam Scriptura solum dicit aquas eas, que erant in vasis ligneis et lapideis, versas esse in sanguinem. **Sexto,** Tostatus et Lyranus putant hæc aquam celerim a demone aliunde fuisse asportatam in Ægyptum. **Septimo,** S. Augustinus aquam hæc putat fuisse allatam ex terra Gessen. **Octavo,** facile dici potest, a Mose aquam fuisse magis oblatam; Mose enim et Hebræis erat non sanguis, sed aqua solita, dulcis et potabilis, uti dixi.

Nota, sanguinem hunc magorum non fuisse prestigiosum, ut vult Justinus; nec rursus, vere ex aquis conversum, ut vult S. Augustinus; sed aliunde a demone adductum, et latenter pro aquis suppositum, uti dixi vers. 12.

Moraliter vide hic quomodo diabolus cum Deo, magi cum prophetis, hæretici cum orthodoxis decertent, imitando eorum dicta et facta. Sed frustra: illa enim in ipsomet retorquentur. Nostra ætate, uti testatur *Martyrologium Anglicæ*, Richardus Vitus disputabat cum impio Anglo Calvinista, potentiore ad bibendum, quam dissidentum de clavibus Ecclesiæ: cumque sibi eas datas pervicaciter hæreticus assereret, lepide et ingeniose respondit Vitus: « Credo tibi perinde ac Petro eas esse datas; verum hoc discrimine, quod huic regni cælestis, tibi vero cerevisiarie cella: hoc enim rubicundum tui nasi promontorium indicat. » Ita aquas in sanguinem vertunt hæretici. Hoc est eorum miraculum.

23. NEC APPOSUIT COR ETIAM HAC VICE. — Non adjecit animum ut crederet et obediret Mose et Deo, jubenti dimittere populum. Mira fuit hæc Pharaonis durities, qui tamen ita mens manusque a Deo ligantur, ut nil gravius in Mosen et Aaronem machinetur.

24. FODERUNT AUTEM OMNES ÆGYPTI PER CIRCUTUM FLUMINIS AQVAM, UT BIBERENT. — ut scilicet sanguis fluminis terra percolatus, in fossas illas deluens fieret liquidior et potabilior, sicuti nautæ per vas cæreum percolant et dulcorant aquam marinam, ut eam bibant. Foderunt ergo, ut invenirent aquam quam biberent: verum non aquam, sed sanguinem, percolatum tamen, et quasi aqueum invenerunt: ex quo permulti sili suæ succurrerunt, mortemque evaserunt; aliqui enim septem dierum siti fuissent enecti. Pauci enim vini, et pauci lactis, quo sitim depellerent, copiam habebant. Addit Philo, venis novis fessione apertis quasi sanguinem et vulnere emicasse, ac proinde partim siti, partim potu hoc plurimos enectos esse. Ubi nota alterum et adversum miraculum: Hebræi enim ex eodem fluvio vel puteo haurientes, aquam hauriebant puram, cum ex eodem Ægyptii haurirent sanguinem, uti superius ex Josepho dixi.

25. IMPLETIQUE SUNT SEPTEM DIES. — Non quasi plaga hæc sanguinis duravit septem dies, sed quod post primam hæc plagam, que uno die duravit, usque ad secundam ranarum fluxerint

In eo-
visone
aquarum
in san-
guinem
multa
fuerunt
strajala.

Vers. 22.
Unde
magi ha-
buerunt
aquam
quæ ver-
terunt
in san-
guinem?
Resp.
Primo.
Secundo.

Vers. 24.
Quarto.
Quinto.

Hebræi
haurie-
bant
aquam
ex eodem
puteo, ex
quo Æ-
gyptii
sanguin-
em.

Vers. 25.

septem dies, inquit Eusebius in Catena. Verum Philo et alii passim censent hanc plagam durasse septem dies: pro uno enim die non fodissent Aegyptii novas fossas et puteos. Est ergo hebraismus: « Impleti sunt septem dies, » id est, septem dies perduravit sanguis in fluvio: post septimum vero diem in naturam aquae reversus est sanguis, idque non rogatu Pharaonis et deprecatione Moysi, ut vult Philo: nihil enim tale habet Scriptura; sed voluntate Dei volentis Aegyptios novis aliisque plagis punire. Inflicto ergo secundo plage ranarum, fuit finis primae plage sanguinis.

Tropologica de eon plage Aegypti decalogi adaptantur.

Tropologicae, S. Augustinus fecit tractatum De Conventientia decem plagarum Aegypti cum decem praeceptis Decalogi, qui exat tomo eius IX. Prima ergo haec plaga, ait ipse, aqua vertitur in sanguinem, id est, Deus in idolum commutatur: homines enim carnales et insipientes indignae sententiae de maiestate Dei, eius gloriam attribuerunt animalibus et lapidibus, uti fecerant Aegyptii: circumfodiunt puteos Philosophi, qui suo ingenio et studio parum aquae, id est, doctrinae de Deo, adepti sunt; sed sanguinea, id est, admixtis erroribus conspurcatae. Hinc Orosius, lib. VII Histor. cap. xxvii, docet has decem plagas allegorice adumbrasse decem Ecclesiae nascentis persecutiones, id est, decem plagas decem Imperatoribus Ecclesiam persequentibus immisas.

Queres, quid et quoniam fuerint plage Aegypto a Mose et Deo inflictae?

Respondeo fuisse decem. Prima fuit haec sanguinis. Secunda fuit ranarum, cap. viii, vers. 3. Tertia, sciniphum, cap. viii, vers. 17. Quarta, muscarum, cap. viii, vers. 24. Quinta, pestis et interitus animalium, cap. ix, vers. 3. Sexta, vesicae turgentes et ulcera, tam in hominibus quam in animalibus, cap. ix, vers. 10. Septima, tonitrua, grandis et fulmina, cap. ix, vers. 23. Octava, locustae omnia depascentes, cap. x, vers. 13. Nona, triduanae tenebrae, cap. x, vers. 22. Decima, caedes primogenitorum, capit. xi, vers. 5, in qua Pharaon permisit Hebraeos egredi, sed facti penitens eos insequens, in mari Rubro cum omnibus suis mersus est: quae non tam plaga, quam Pharaonis et Aegypti fuit excidium.

Sed cur fuerunt decem? Respondet Philo, quia denarius symbolum est perfectionis: sicuti ergo plena et perfecta erat mensura peccatorum, sic fuit et poenarum Aegypti. Decem enim sunt peccata primaria, quae totidem, puta decem Decalogi praeceptis adversantur. Unde totidem plagis punivit Deus impios Aegyptios, quot daturus erat populo suo mandata, quorum auctoritatem haec poenitione praevia sancire voluit.

Ubi nota primo: Aegyptii per omnes fere creaturas puniti sunt, scilicet per terram, aquam, aerem et ignem: per mixta, grandinem et sanguinem: per animalia, ranas, muscas, sciniphos, locustas: per solem et astra, cum se sub-

Respondeatur decem plage Aegypti.

Car ferriat decem?

Aegyptii per omnes creaturas puniti sunt.

ducendo tenebras induxerant: per homines, Moysen et Aaron, per angelos et Deum.

Secundo, in omnibus pene bonis puniti sunt, scilicet in fructibus agri, in animalibus, in filiis suis primogenitis, in auro et argento, in corporibus per ulcera.

Tertio, in omnibus sensibus puniti sunt: in visu, per tenebras et spectra; in audita, per tonitrua; in gustu, per siliam et potum sanguinis; in odoratu, per fetorem ranarum; in tactu, per dolorem ulcerum et morsum sciniphum; denique in phantasia et mente, per continuum mororem ac multiplices terrores. Haec plage Aegypti fuerunt praeludium et typus poenarum gehennae. Omnes enim haec decem plage vel in se, vel in sui similibus exerciebant Pharaonem, aliosque damnatos in inferno, cui facile est sanguis adaptare. Et si ita Deus punivit Aegyptios in hac vita, quomodo puniet damnatos in gehenna? Hinc rursum « easdem plagas, inquit Ireneus lib. IV, capit. L, in fine mundi universaliter accipient gentes, quas tunc particulatim accepit Aegyptus, » easque praevit et praedixit S. Joannes Apocal. cap. viii et ix.

Symbolice, Deus puniet peccatores decem plagis. Primo, sanguine, id est discordia: aquae enim potabiles Aegyptiis in sanguinem conversa significant discordiam in intima Reipublicae viscera, ac venas serpentem. Secundo, ranis, id est rixis et tumultibus, qui ex discordia manant. Tertio, culicibus, id est curis et sollicitudinibus, quae peccatores mundo et carni deditos pungunt et discruciant. Quarto, muscis caninis, id est irris et odiis, quibus aestuant, et invicem mordent ac laedant. Quinto, peste animalium, ut scilicet in rebus terrenis oblectamenta, quae quaesierant, non inveniant, sed potius in iis fastidia, damna, dolores et tormenta sentiant. Sexto, ulceribus vesicarum, id est stimulis conscientiae, quae quasi ulcera dolorem simul et pudorem ac horrorem afferunt. Septimo, grandine, id est obstinatione in suis sceleribus. Octavo, locustis, id est tyrannide et inquietudine concupiscentiae. Nono, tenebris, id est caecitate mentis. Decimo, morte primogenitorum, id est damnatione animae. Sicut enim primogenitus in paterna domo est princeps, sic animus est in utroque homine. Ita Alcazar in Apoc. xi, not. 8; sed de singulis agam sigillatim inferius suis locis.

Queres secundo, ubi et quando haec plage sint factae? Respondeo primo, factae sunt in campo Taneos, Psalm. lxxvii, 12. Tanis enim erat civitas regia et caput Aegypti, in qua Pharaon habitabat. Plaga ergo quaelibet primo feriebatur Tanim, in qua erat scelerum colluvies, deinde per universam Aegyptum diffundebatur, ut tradunt Hebraei. Secundo, contigerunt haec plage anno 81 Moysi, id est anno mundi 2434, post diluvium vero 797, ante bellum Trojanum, quod incidit in tempora Samsonis et Heli, annis 330; ante Romam condi-

Secundo, in omnibus bonis.

Tertio, in omnibus sensibus.

Haec plage fuerunt praeludium gehennae.

Queres II. Ubi et quando haec plage sint factae? Respondeo in Tanis, ante bellum Trojanum.

tam, annis 743. Addit Paulus Orosius, lib. I Historiarum, cap. ix et x, plagas has contigisse sub idem tempus quo contigit diluvium, non Ogygis, ut vult Africanus, sed Deucalionis, et incendium quod vocant Phaetontis.

Queres tertio, quanto tempore haec plage durarint? Respondet Torriellus et Pererius omnes uno mense peractas esse, scilicet 27 diebus; nam post primam plagam usque ad secundam transierunt dies septem; die 9 ablata est secunda plaga ranarum; die 11 immissa est tertia plaga ciniphum; die 10 Moses minatus est muscas, et die 12 immisit eas, et die 13 removit eas; die 15 minatus est et inflixit quintam plagam; die 16 inflicta est sexta plaga; die 17 minatus est plagam septimam, quae inflicta est die 18 et sublata 19; die 20 minatus est octavam plagam, et die 21 inflixit eam, et die 22 removit; sequentibus tribus diebus, puta 23, 24, 25, duravit plaga tenebrarum; die 26 Pharaon a se expulit Moysen, et media nocte sequente inflicta est decima plaga caedis primogenitorum, sub initium diei 27. Unus ergo fere mensis lunaris fluxit a prima plaga usque ad ultimam. Jam cum ultima plaga contigerit 15 die primi mensis Nisan, qui respondet nostro martio, hinc sequitur primam plagam factam esse circa medium ultimi mensis qui Hebraeis dicitur Adar, et respondet nostro februario. Errant ergo Hebraei, quos sequitur Genebrardus in Psal. civ, dicentes has plagas spatio 12 mensium, per intervalla esse factas.

Queres quarto, quis fuerit auctor harum plagarum? Respondeo, fuit Deus, utens tamen subinde ministerio angelorum, de quibus dicitur Psalm. lxxvii: « Misit in eos iram, et immissiones per angelos malos. » Ubi, licet Genebrardus putet has plagas inflictas esse per demones, tamen verius est id factum esse per angelos bonos, tum quia Moses et Deus certabat hic cum magis et demonibus: ergo eorum opera non utebatur; tum quia sic Sodomitas punivit per angelos bonos: dicuntur tamen hi angeli mali, id est, noxii et inferentes mala, sive supplicia. Unde Hebraice

Quest. IV. Quis fuerit auctor harum plagarum? Respondeo per angelos bonos.

est, per angelos malorum, scilicet opifices. Ministerium ergo suum Deo hic exhibuerunt angeli, peregrinante plagam quintam pestis, et sextam ulcerum, et septimam tonitruorum, et nonam tenebrarum, et decimam caedis primogenitorum, forte et tertiam ciniphum, et quartam muscarum; reliquas, utpote subitaneas et miraculosas conversiones et productiones rerum solidarum et perfectarum, ut sanguinis et ranarum, forte et locustarum, per se operatus est Deus.

Porro finis harum plagarum fuit, ut Deus per eas ostenderet, tum suam curam et providentiam erga Hebraeos, tum terribilem potentiam et vindictam adversus Pharaonem et Aegyptios, eosque cogeret Hebraeos dimittere, utque omnes gentes sui metu et reverentia percelleret. Id ita contigisse fatentur Chananeae, Josue ii, 9.

Hinc patet Hebraeos in Aegypto ab his plagis fuisse immunes, ut patet cap. viii, vers. 22, et cap. ix, vers. 4 et 26, et cap. x, vers. 23; immunes quoque fuisse advenas et peregrinos probabile est. Solis enim Aegyptiis haec plage infligebantur. Unde verisimiliter censet Pererius advenas, cum tam atroces poenas Aegypto infligi cernerent, dubitantes de totius regionis exitio, quamprimam ex Aegypto abiisse. Addit Pererius immunes quoque fuisse Aegyptios eos, qui nihil in Judaeos peccaverant: sed hoc valde incertum est; solet enim Deus ob publica regum et regni peccata omnes punire, communique clade etiam innoxios cum noxiis involvere. Denique S. Augustinus, Quaes. XLIV, putat ab hisce plagis, excepta ultima, immunes fuisse Aegyptios habitantes cum Hebraeis in terra Gessen: haec enim terra a plagis immunis fuit, ob Hebraeos in ea habitantes. Verum probabilius censet Tostatus et alii, Aegyptios aequae in Gessen, ac alibi, fuisse plagis hinc percussos, quia Aegyptii omnes innato quasi die persequerantur Hebraeos, maxime autem illi qui in Gessen eos opprimebant, tum quia ea re putabant illi maximam se inire gratiam apud Pharaonem, tum quia perniciem Hebraeorum ingenti bono futuram sibi sperabant.

Etis haec plage?

Non vero Aegyptii habitantes in Gessen.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur secunda plaga Aegypti, quae fuit ranarum; et vers. 16, tertia, quae fuit sciniphum; et vers. 21, quarta, quae fuit omni generis muscarum, quodque post singulas induratus sit Pharaon.

1. Dixit quoque Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem, et dices ad eum: Haec dicit Dominus: Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi; 2. sin autem nolueris dimittere, ecce ego percussiam omnes terminos tuos ranis. 3. Et ebulliet fluvius ranas, quae ascendent, et ingredientur domum tuam, et cubiculum lectali tui, et super